




UC-NRLF
B 2 868 682



5.

DE ROMANORUM HOSTIIS QUAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINE

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS KRAUSE

CUESTRINENSIS

MARPURGI CATTORUM

MDCCCLXXXXIV

DISSERTATIO PROBATA
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM
ORDINE

PRIDIE NON. MART.

MDCCCLXXXXIII

GEORGIO WISSOWA

SACRUM

Quae qualesque cuique deo hostiae gratae acceptaeque sint quidque in ipsa immolatione observandum sit cum accuratissime in sacris Romanorum libris perscriptum fuisse certum sit, ad religionem Romanam penitus cognoscendam non inutile esse videtur, pontificum de hac re praecepta ex titulorum grammaticorumque testimoniis quantum quidem fieri potest reconcinnare. Quae quaestio intra iuris pontificalis fines cohibenda visa est ita, ut et reliquorum Italiae populorum (inprimis Umbrorum) sacra et ipsorum Romanorum privata sacrificia, quae certis legibus subicere vix licet, nisi ad inlustrandam sacrorum publicorum rationem non adhiberemus. Ita vero rem disposui ut primo capite huius dissertatiunculae de hostiarum sollemnibus nominibus in universum, altero de coloris, tertio de aetatis, quarto de sexus discrimine agerem. Sequitur de nonnullis nominibus singularibus quaestio. Sexto denique capite elenchus proponitur in quo quae cuique deo animalia facta sint titulorum et litterarum testimoniis inlustratur.

I.
De hostiarum sollemnibus nominibus.

In universum omnia animalia quae immolantur a Romanis *hostiae* vocari solent, et armenta[1]) et pecora[2]) et aves[3]) et, ut ex his sine dubio colligere possumus, pisces

[1]) CIL VI 2028. Valer. Max. II 4, 5. Censor. 17, 8. Liv. XXV 12.
[2]) CIL VI 2104. Serv. Aen. IV 374.
[3]) Amm. Marc. XXII 12.

quoque qui Volcano sacrificantur. Sed praeter *hostiae* appellationem omnibus communem in sacrificiis bubulum genus proprium etiam habet nomen — *victimae*.[1]) Attamen tantum abest ut *victimae* usquam opponantur *hostiis*, ut in una ex tabulis fratrum Arvalium (CIL VI 2028) utrumque verbum de iisdem animalibus adhibeatur. Quare non bene fecerunt Scaliger, Luebbert (*comm. pont.* p. 180), Marquardt (*Röm. Staatsv.* [2]III p. 117), quod libelli *de nominum verborumque differentiis* (cf. Keil *Gram. lat.* VII p. 518. I. W. Beck *de different. script. lat.* 16) vana hariolatione decepti, quia in eo legitur *victima maior est, hostia minor*, hanc divisionem fecerunt, ut *victimae* verbum de armentis, contra *hostiae* de pecudibus usurpari statuerent ab iis qui accuratius loquerentur. Etenim istius opusculi auctoritas nihili habenda est prae lapidis fide. Neque ex aliis exemplis, quae Marquardt p. 117 adn. 1 adfert, quicquam colligi potest nisi ovillum pecus in *hostiarum* numero duci, armenta etiam *victimas* vocari.

Atque optime cum his quae propono convenit vocabulorum veriloquium. Nam, neglecta stulta explicatione Ovidii fast. I 335 et Serv. Aen. II 156. II 334, hoc retinendum est: *hostia dicta est ab eo quod est hostire ferire* (Paul. p. 102). Feriuntur autem i. e. hostiuntur vel mactantur post immolationem omnia animalia quae sacrificantur. Rectissime igitur de omnibus illud vocabulum *hostiae* usurpatur (cf. Corssen *Krit. Beitr.* p. 222).

Victimas vero quod attinet Corssen (*Krit. Beitr.* p. 61) Aelii Stilonis (Fest. p. 371) opinionem *victimam esse vitulum ob eius vigorem* firmo fundamento niti probaturus et verbi originationem investigaturus haec ingeniose enucleavit: *Aelius Stilo . . . wusste . ., dass victima ein grosses oder starkes Opfertier bedeutete. Dies wird schlagend bestätigt durch den Sprachgebrauch des Plautus, Pseud. 329: nolo victumas: minimis me extis placari volo* (potuit etiam afferre Hor. carm. II 17, 30—32), *wo durch den Gegensatz von minimis*

[1]) CIL VI 2028. 2041. 2042. 2056. 2059. Fest. p. 371.

ertis, das ist minore hostia, eben victima als grösseres Opfertier bezeichnet ist. Somit ist vic-tima eine Superlativbildung eines Adjectivstammes vic-o- von Wurzel vig- in vig-or, vig-ere mit dem Superlativsuffix -timo.

Ut armenta proprio verbo *victimae,* ita hostiae ovilli pecoris vocabantur *maximae.* Talia enim ex Pauli glossa p. 126 *maximam hostiam ovilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore* colligenda mihi videntur. Omnes igitur hostiae, quae in ovilli pecoris numerum referendae erant, i. e. arietes, verveces, oves feminae, agni, agnae proprie *maximae hostiae* nominabantur. Cur vero? Non ideo, quod inter omnes hostias quasi maxima statura erant — nam tales potius erant boves, tauri, vaccae, vituli, vitulae — sed ut Paulus, qui ut fere solet hoc quoque loco Festi opinionem nimis decurtasse videtur, indicat *ab animo placidiore.* Etenim cum saepissime ab iis qui de hostiis et sacrificiis scripserunt praedicetur, diis non nisi ea animalia, quae libenter neque vi acta ad aram procedant, immolari fas esse (Macrob. sat. III 5, 8. Serv. Aen. IX 624. Georg. II 395) reliquaeque hostiae, imprimis armenta (Liv. XXI 63. Valer. Max. I 16, 12. Lucan. VII 165. Plin. n. h. VIII 183), reluctatione sacrificium haud raro turbarent, ovillum pecus propter placidiorem animum aptissimum ad immolationem et quasi hostia praeter ceteras mactabilis videbatur: est ergo *maxima hostia* quasi perfectissima.

In universum hostiae corpore perfectissimo neque vitiis maculatae esse debebant talesque nominabantur *eximiae* (cf. Macrob. sat. III 5, 6. Paul. p. 82) atque *lectae* (*quibus nihil deest* Serv. Aen. IV 57; *quae pro sacris praeceptis non habent caudam aculeatam, non linguam nigram, non aurem fissam* Serv. Aen. VI 39).

At erant etiam animalia quae sine probatione immolabantur. Haec *votiva* appellabant. Vituli huiusce speciei mentionem facit tab. Iguv. II B 22. Adnotat ad hunc locum Buecheler: *accessionem feriarum illarum esse apparet extraordinariam, non sollemnem aut statam hostiam. non probatur exploraturve quae deo digna sit sed ilico sistitur.* Comparat vir doctus versus Horatianos (carm. IV 2, 53—56):

Me tener solvet vitulus, relicta Matre qui largis iuvenescit herbis In mea vota.

Quae hostiae erant praecipue pingues, dictae sunt *opimae* Festo teste (p. 186). Consentit cum illo Varro (r. r. II 1,20), ita tamen ut etiam addat, saginari ad sacrificia publica solitas fuisse has hostias opimas.

Ex causa vero immolationis distinguuntur hostiae *honorariae* atque *piaculares,* quarum illis rem divinam faciebant Romani deos celebraturi; *piacularis* vero hostia pro culpa aliqua commissa diis mactanda erat, sive quis magistratus aut privatus sacra religionis praecepta neglexerat (Varro de l. l. VI 30. Macrob. sat. I 16,10. III 10,7. Marius Victorin. VI 25 K. Varro de vita p. R. apud Non. p. 163,20), sive immolantes hostiam deis non gratam, quod ex eius fuga vel mugitu percipi debebat, elegerant (Paul. p. 244. Fest. p. 245), sive missis prodigiis iram suam dii ostendisse putabantur. Omnes eae hostiae *piaculares* in hostiarum *animalium* numero ducendae erant praeter porcilias piaculares, quarum visceribus et sanguine fratres Arvales epulabantur, de qua re nescio an Luebbert recte iudicaverit (p. 107): *verum huius sacrificii ratio plane singularis est, res enim, propter quam fit* (sacrificium fit luci coinquendi operisque faciundi causa), *nomine sane religionis violatio est, ita tamen ad ipsa sacra et cultum necessaria, ut omitti vix sine piaculo possit.*

II.

De hostiarum colore.

Coloris certi hostias singulos deos postulavisse dudum animadversum est sive *albas* sive *atras* sive *rutilas,* et dicitur *alba* hostia (quae vox sola sollemnis est, cum poetae etiam *niveas* dicant aut *candidas*), cuius corpus alba pelle obductum maculis caret, mactaturque dis superis, quamquam ne in actis quidem fratrum Arvalium quam accuratissime omnia haec observantibus semper coloris albi mentio fit, sed in aliis tabulis nullius hostiae color praedicatur, in aliis nunc signifi-

catur, nunc tacetur (CIL VI 2064. 2086). Nam in tanta candidorum animalium raritate, própter quam ad id refugere solebant pii Romani, ut hostias maculis sparsas creta oblinerent (Marquardt III 172,8), colorem tum demum adnotasse videntur, cum re vera nivei candoris animal assecuti erant. Quod hoc quoque probatur quod vacca honoraria, quae Deae Diae immolatur sanctissimumque fratrum est sacrificium, fere semper *alba* vocatur.

Sequitur ut de *atris* hostiis loquamur. Quae praeter hoc nomen (CIL VI 2107. X 8259) etiam *furvae* dicuntur (Censor. 17,8. Val. Max. II 4,5. Paul. p. 93) aut *piccae* apud Umbros (tab. Ig. I B 24. 27. VII A 3. 7.). Inferis autem, qui ipsi atri et taetri semper in densis tenebris versari putabantur, et noxiis diis illa animalia fiebant: Diti, Manibus, Proserpinae, Summano, Tempestati, Vediovi.

Rutilus vero hostiarum color (Fest. p. 285), quae etiam *rubrae* vocantur (tab. Ig. I B 24. 27) aut *robeae* (CIL VI 826) aut *rufae* (tab. Ig. VII A 3. 7. Paul. p. 45), non minus accommodatur ad naturam deorum, quibus mactantur, nam Volcano tales sacrificandae sunt et Robigo.

Denique *calidorum* animalium, hoc est quae signum quoddam portabant, notam scilicet albam in fronte inter cornua, ut Isidorus (origin. XII 1,52) memoriae prodidit, sacrificium ex Umbrorum tabulis Iguvinis (I A 20. VI B 19. 20) innotuit. Apud Romanos publicae religionis exemplum nullum novimus; sed talem vitulum a se immolatum iri propter triumphum imperatoris Horatius (carm. IV 2) pollicetur.

III.

De hostiarum aetate.

Aetatis maximum discrimen est inter *maiores* et *lactentes* hostias. Sunt vero hostiae *maiores* eae, quae ab uberibus matris iam remotae sunt, et tales intelleguntur hostiae omnes quaecunque non disertis verbis praedicantur *lactentes*. *Lactentes* vero hostiae aut dis minoris potentiae sacrificantur (Gell. IV 6) aut propter prodigia minus severa; cf. Liv.

XXII 1, 8—15, ubi in paragraphis inde ab 8 usque ad 12 prodigiis magnis horribilibusque narratis leguntur haec (§ 13—15): *inde minoribus etiam dictu prodigiis fides habita: capras lanatas quibusdam factas et gallinam in marem, gallum in feminam sese vertisse . . . decretum, ut ea prodigia partim maioribus hostiis, partim lactentibus procurarentur;* Liv. XXI 62, ubi inaudita prodigia referuntur et hostiis *maioribus* procurantur; Liv. XXXVII 3, quo loco minoribus prodigiis nuntiatis hostiis *lactentibus* rem divinam fecisse decemviri produntur.

Non aliter fratres Arvales *porcilias* i. e. porcas *lactentes* nonnisi ob ferri inlationem (elationem) vel ob arbores tempestate aut vetustate deletas immolabant, *suovetaurilibus* vero *maioribus, ovibus, arietibus, vervecibus, bubus feminis* rem divinam faciebant, cum gravius quid accidisset, hoc est ficus in aede innata esset vel arbores luci sacri fulminis ictu attactae arsissent. Est ergo hostiarum *maiorum* et *lactentium* solum pretii discrimen neque ullo fundamento nititur opinio in Servii commentario prolata (Aen. XII 170): *in rebus, quas volebant finiri celerius, senilibus et iam decrescentibus animalibus sacrificabant, in rebus vero, quas augeri et confirmari volebant, de minoribus et adhuc crescentibus immolabant,* quae sunt merae theologorum argutiae iniuria ab Luebberto (p. 110) aliisque probatae. *Lactentes* porro ante certam aetatem sacrificio puras non fuisse docet Varro (r. r. II 1,20): *fere ad quattuor menses e mamma non distinguuntur agni, haedi tres, porci duo. e quis quoniam puri sunt, ad sacrificium ut immolentur, olim appellati sacres.* Quocum locus Plinianus comparandus est (n. h. VIII 51): *suis fetus sacrificiis die quinto purus est, pecoris die septimo, bovis tricesimo.*

Inter maiores *bidentes* (sive *duidentes*) saepius citantur. Atque ita hostias cuiusvis generis, sive bubuli, sive ovilli, sive suilli, vocatas esse testantur Pomponius (de verris sacrificio locutus *Mars tibi voveo facturum, si unquam redierit, bidenti verre.* Gell. XVI 6,7 = Macrob. sat. VI 9,4 = Non. Marcell. p. 53), P. Nigidius Figulus

(Gell. XVI 6,15 *Publius autem Nigidius in libro, quem de extis composuit, bidentes appellari ait non oves solas, sed omnes bimas hostias,* quae verba exscripsit Macrob. sat. VI 9,5; cf. etiam Non. l. c.: *Nigidius Figulus dicit bidental vocari, quod bimae pecudes inmolentur*), ad quem redire videtur etiam locus Pauli Festi epitomatoris p. 35 (*bovem bidentem a dentium numero dicunt appellari*), Iulius Hyginus (*Quae bidens est hostia, oportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores, per quos appareat ex minore aetate in maiorem transcendisse,* Gell. XVI 6, 15 = Macrob. sat. VI 9,7), ad quem eundem haud dubie redeunt Servii verba (Aen. IV 57) *bidentes autem dictae sunt, quasi biennes, quia neque minores neque maiores licebat hostias dare.* Perperam vero in commentariis quibusdam ad ius pontificium pertinentibus vocabulum cum *biennibus* cohaerere (Gell. XVI 6,13 = Macrob. sat. VI 9,6 = Non. l. c. cf. Serv. Aen. IV 57 *quasi biennes*) iudicabatur. Etenim talis originatio a legibus linguae Latinae valde abhorret. Immo vero a duobus dentibus qui in animalium ruminantium oris parte inferiore circa bimatum apparent ceteros sex primores eiusdem maxillae magnitudine vel potius latitudine superantibus (Hyginus apud Gell. XVI 6,15 = Macrob. sat. VI 9,7 = Isidor. orig. XII 1,9; ex illius grammatici scriptis etiam profluxisse videntur quae praebent Paulus Festi p. 33 et Serv. Aen. IV 57. VI 39) nomen ductum est. Prorsus autem abicienda est opinio a Paulo p. 4 prolata et plerisque viris doctis (Luebbert p. 109. Marquardt III 171) probata *ambidens sive bidens ovis appellabatur, quae* (traditur *que*) *superioribus et inferioribus est dentibus.* Inepte hoc loco, qui quin ex compluribus definitionibus in Festi exemplari repertis conflictus sit dubium non est, *ambidens* et *bidens* idem esse animal affirmatur, scilicet quod dentes perpetua serie in utraque maxilla habet. At nullum animal ovilli (vel bubuli) pecoris *ambidens* est, cum in superiore parte oves omniaque animalia quae ruminant non habeant primores (Plin. n. h. XI 161). Neque *bidentem* omnino idem esse posse atque *ambidentem* versus carminis Priapei 82 optime probat, ubi anus

dicitur (v. 26) *Bidens amica, Romuli senis memor.*[1]) Postremo denique loco adnoto poetas saepissime *bidentem* translate usurpasse pro ove, nulla pontificalis usus ratione habita, velut Phaedr. I 19,8.

In *maiorum* hostiarum numero etiam *altilaneae* ducendae sunt, ovilli solum generis, ut consentaneum est. Sollemne vero hoc verbum fuisse et ex Servii commentario (Aen. XII 170) cognoscimus et acta fratrum Arvalium (CIL VI 2099) docent. Erant autem *altilaneae* haudquaquam *breves adhuc,* ut ex Vergilii (Aen. XII 170) verbis *saetigeri fetum suis intonsamque bidentem attulit* colligit Servius, qui *fetum suis,* poetice dictum pro *porco* nulla hostiae aetatis ratione habita, porcum parvulum esse atque ita aptissime cum *bidente intonsa* i. e. ove parvula coniungi existimabat, sed erant pecora lana non iam detonsa, quibus lanae decus haud parvam adsignabat dignitatem, et exquisitae tamquam erant sanctitatis ideo quod ne tonsura quidem hominum manus impia unquam ea laesit. Itaque ut *iniuges* aliis antecedebant, ita *altilaneae* ei pecori quod detonsum erat. Propterea praecipue iis diis ad quorum favorem adipiscendum sacrificia maxime spectabant, immolatae sunt, ut fratres Arvales in sacrificio piaculari a. 183 (CIL VI 2099) aliis deis arietibus vel vervecibus, Marti solum et Iovi *altilaneis* arietibus vel vervecibus rem divinam fecerunt, Marti, quod praeter Deam Diam eius cultus apud illos maxime florebat, Iovi ut summo deorum.

IV.
De hostiarum sexus discrimine.

Immolari solent in sacrificiis publicis haec animalia:

equus: uno tantum in sacrificio immolabatur, Marti in

---

[1]) Postquam haec scripta sunt prodiit Alfredi Nehring de bidentibus hostiis dissertatio (N. Jahrb. f. Phil. u. Paed. vol. CXLVII 1893 p. 64 sqq.), qui valde erravit contendens *es* (ambidens) *deutet nur in verstaerkter Weise an, dass zwei ins Auge fallende breite Schneidezaehne, und zwar einer rechts, einer links von der Mittellinie, vorhanden sind.* Namque *ambidens* de dente altero a dextra altero a sinistra parte posito, inter quos nulla res interponitur, dici omnino nequit.

campo Martio, idibus Octobribus (Paul. p. 81. 220. Fest. p. 178), equus ille qui fuerat bigarum victricum dexterior. Eum non *ob frugum eventum* mactatum esse, sed *veram huius sacri rationem inter veteres eos vidisse, quorum sententiam ita refert Festus, equum hostiae loco Marti bellico deo sacrari* egregie demonstrat Wissowa *de feriis anni Romanorum vetustissimi observationes selectae* p. X.

bos mas: est verbum sollemne usurpatum de armenti genere masculino aetate iam provecto quod plena procreandi vi adhuc perfruitur. Falso viri docti (Luebbert p. 111. Marquardt III 167) iudicaverunt hoc animal esse idem atque *taurum.*

imm.: ritu Romano: Iovi. Manibus. Divis.[1])
ritu Graeco: Diti. (Mercurio).
ab Umbris: Iovi. Iovi Grabovio. Marti Grabovio. Vofiono Grabovio.

taurus: Invenimus apud Varronem (r. r. II 5, 6): *Discernuntur in prima* (sc. aetate bubuli generis) *vitulus et vitula, in secunda iuvencus et iuvenca, in tertia et quarta taurus et vacca.* Haec verba una cum loco Servii (Aen. III 21) de *tauro* et *iuvenco* disputantis *nam in victimis etiam aetas est consideranda* commiserunt, ut omnes qui postea res sacras tractantes de *tauro* locuti sunt veram huius hostiae naturam ignorarent. Nam viri docti istam Varronis definitionem temere ad res sacras retulerunt, velut Hartung (*Rel. d. Roem.* II 61), Luebbert (p. 111), Marquardt (*R. St.* III 167), Preller-Jordan (*Roem. Myth.* ³I 214, 1). Neque Oldenberg (*de sacr. fr. Arval.* p. 35) recte iudicavit. Nam cum Varro ex usu sermonis cotidiani vocabulum definiverit, pugnat contra eum quod in monumentis, praecipue in actis fratrum Arvalium, maxima cum cura et paene anxietate *bovem marem* et *taurum* distingui inter se videmus. Appellat autem *taurum* lingua pontificum bovem cui testiculi dempti sunt, ita ut *bos mas* et *taurus* valde inter se differant.

---

[1]) Testimonia in capite sexto posita reperies. Quod uncis includitur ad sacra privata pertinet.

In actis enim fratrum Arvalium a. 183 *arietes* i. e. oves mares generationis potentes iis diis sacrificari memorantur, qui maioris momenti in hoc ipso sacro sunt, contra *verveces*, i. e. oves mares qui arte vi procreandi privati sunt, non nisi diis minoribus, ita ut *bos mas*, qui non nisi summo deorum Iovi (et qui postea ei aequiparabantur, Divis), mactabatur, et *aries* ab una parte, ab altera *taurus*, ceteris dis immolatus, et *vervex* optime alter alteri respondeant.[1]) — Accedit aliud argumentum: legimus apud Varronem (r. r. II 5, 6) *quae sterilis vacca, taura appellata*, quocum conferas praeter Serv. Aen. II 140 *quae* (sc. hostia) *sterilis autem est, taurea appellatur* etiam Fest. p. 352 *tauras vaccas steriles appellari ait Verrius, quae non magis pariant* (traditur: *rapiant*) *quam tauri; sed verisimilius sit ex Graeco dictas, quia steriles vaccas ταύρας appellant.* Atque Festus quidem verum sensum quem Verrii verba continent, non intellexit, quia in lingua cotidiana boves pollentes et boves castrati peculiari verbo non distinguebantur sed utrique tauri, ut mares caprini pecoris sive pollentes sive castrati capri vocabantur; si autem *tauri* secundum Verrium sunt boves castrati, tum bene de vaccis sterilibus dici potuit *quia non magis pariant quam tauri*, nam nec vaccae steriles pariunt nec *tauri* (i. e. boves castrati) gignunt.

Artissime cum hoc argumento cohaeret aliud: tabulas Iguvinas qui perscrutatus erit, is *vitulos tauros* quater (I B 1. I B 4. VI B 43. VI B 45) commemoratos reperiet. Talis vero verborum coniunctio explicari non potest ab eo qui *taurum* sola aetate a vitulo et iuvenco, ut Varro docet, differre aestumat, sed bene intelleguntur vituli castrati ex mea sententia.[2])

---

[1]) Falso Oldenberg p. 35 contendit *tauris respondent arietes, bubus maribus ratione aliquantum mutata verveces.*

[2]) De ludis Tauriis haec leguntur in commentario ad Verg. Aen. II 240: *quae* (sc. hostia) *sterilis autem est, taurea appellatur: unde ludi Taurei dicti, qui ex libris fatalibus a rege Tarquinio Superbo instituti sunt propterea, quod omnis partus mulierum male cedebat.* Illud *unde* non tam ad *tauream hostiam* quam ad solum verbum *tauream*

imm.: r. R.: Genio p. R. Genio imper.
Laribus. Marti. Neptuno. Saturno.
r. G.: Apollini. Herculi.

iuvencus: a *bove mari* sola aetate paulo minore differt, sed videtur haec vox a sollemni sermone sacerdotum aliena esse et a solis poetis pro *bubus* vel *bubus maribus* interponi.

imm.: r. R.: (Iovi).
r. G.: Herculi.

vitulus: bos mas primae aetatis.

imm.: r. R.: Divis. (Iovi). Volcano.
r. G.: (Mercurio).
ab Umbris: Iovi Sancio.

vitulus taurus appellatur cui testiculi dempti sunt (vide p. 10).
imm.: ab Umbris: Honto Cerfio. Marti Hodio.

aries: mas ovilli pecoris vi generationis pollens. Cuius nomen vetustius sollemniusque fuisse videtur *ovis*, quod in commentariis sacrorum pontificalium memorabatur (Fest. p. 286. Paul. p. 195) et in tabulis quoque Iguvinis nomen de mari pecore usurpatur (tab. III 26 sq. II A 10 sq., ubi Buecheler, quamquam ipse in commentario exaravit *Iovi dicatam ovem distinctius scribimus τὸν οἶν* falso *pedariam* pro *pedarium* posuit; etenim Umbricum *peđaem* et *pedariam* et *pedarium* esse potest, cf. Buecheler p. 189).

Clarissimum apud Romanos fuit *ovis Idulis* sacrificium, de quo haec produnt Paulus p. 104: *Idulis ovis dicebatur, quae omnibus idibus Iovi mactabatur.* Macrob. sat. I 15, 16: *Sunt qui aestimant Idus ab ove Iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tusci, et omnibus Idibus Iovi immolabatur a flamine.* Ovid. fast. I 56: *Idibus alba Iovi grandior agna cadit;* I 587. 588: *Idibus in magni castus Iovis aede sacerdos Semimaris flammis viscera libat ovis;* sed de feminino hostiae sexu quamquam inter se concinunt testes nec recen-

---

hoc est sterile referendum est, ita ut sit = *a taureo* ludi Taurei dicti. Itaque Taurii ludi sunt ludi propter sterilitatem, mulierum videlicet, quarum partus male cedebant, instituti, idemque Verrius dixisse videtur, quantum quidem e Festi loco p. 351 et mutilo et corrupto intellegi potest.

tiores offenderunt, tamen pugnat contra legem in omnibus religionis Italicae monumentis servatam, diis maribus mares, feminis feminas hostias mactandas esse, si modo res divina proprio Italico ritu, non Graeco vel adeo peregrino fiebat. Ergo cum sacrum Idule inter Romana vetustissima sit, Verrium Flaccum, ad quem et Pauli et Macrobii et Ovidii testimonia redire videntur, falso ex usu sermonis communis *ovem* pro femina accepisse eo magis credibile est, quod cum *ovis Idulis* in regia immoletur, Macrobio auctore (sat. I 16, 20) *omnibus nundinis in regia Iovi arietem fieri* probatur: utroque sacrificio idem animal eidem deo eodem loco mactatum fuisse consentaneum est.

imm.: r. R.: Iano. Iovi. Manibus. Marti. Summano. Vediovi.
r. G.: Diti.
ab Umbris: Iovio.[1]) Actui Iovi. Pumuno Puplico.

vervex: est ovis mas testiculis praecisus, ut discimus ex Varronis de l. l. V 98: *Quoniam si cui ovi mari testiculi dempti ei ideo vi natura versa vervex declinatum.*

Cum hoc Varronis loco consentiunt Pauli excerpta (p. 46): *cantherius hoc distat ab equo, quo maialis a verre, capo a gallo, berbix ab ariete. Est enim cantherius equus, cui testiculi amputantur.*

imm.: r. R.: Divis. Famulis divis. Fonti. Iovi. Laribus. Summano. Testimonio.
ab Umbris: Tefro Iovio.

agnus: ovis mas minoris aetatis.

imm.: r. R.: Divis. (Genio privati). Quirino. Saturno. (Silvano).
r. G.: Herculi.

porcus: suilli pecoris mas, non castratus. Alterum huius animalis nomen erat *verres.* Id semel repperi in lapide exaratum: *sacrum faciat . . . vitulo robeo et verre* (CIL VI 826). Animal autem hoc non castratum fuisse probat

---

[1]) cf. p. 21 seqq.

locus Varronianus (r. r. II 4, 21) *castrantur verres commodissime anniculi.* De verbi originatione cf. Curtius (*Grundzuege der griech. Etym.* [5] p. 343) et Corssen (*Krit. Beitr.* p. 403).

Sus appellatur in tabulis Iguvinis.

imm.: r. R.: (Genio privati). Iovi. (Laribus). (Marti). (Silvano). Volcano.
r. G.: Herculi.
ab Umbris: Cerfo Martio. Actui Marti. Fisio Sancio. Almoni Iovi.

maialis: porcus mas cui testiculos amputaverant. Hoc docet Varro r. r. II 4, 21. II 17, 15. In *solitaurilibus* immolatur haec hostia, cf. p. 16 sq.

hircus: de caprini pecoris mare dicitur si modo ei testes non recisi sunt.

imm.: r. G.: Libero.

caper: proprie usurpatur de *hirco* quem testiculis resectis sterilem reddiderunt, ut discimus ex Gell. IX 9, 10 et Martial. III 24.

imm.: r. R.: Fauno. Vediovi.[1])
r. G.: Mercurio.
ab Umbris: Sancio.

haedus: *hircus* vel *caper* vel *capra* adhuc minor natu est (Buecheler *Coniectanea* in *Ind. schol. Bonn.* 1878/79 p. 23).

imm.: r. R.: (Fauno. Fonti. Silvano).
r. G.: Mercurio.

canis quoque inter hostias numerabatur, cf. Plut. q. R. 111; Rom. 21.

imm.: r. R.: Fauno. Robigo.
ab Umbris: Honto Iovio.

gallus: CIL VI 820.

capo: gallus vi procreandi privatus (Paul. p. 46).

imm.: r. G.: Herculi.

---

[1]) cf. p. 21.

maenae: ad fulgura procuranda pro hominum animis immolabantur (Fest. p. 238). Populus Volcanalibus haec animalia in ignem pro se mittere solebat (Varro de l. l. VI 20).

imm.: r. R.: Volcano.

bos femina vel **vacca:** utrumque hoc verbum sollemne est et sine ullo discrimine adhibetur. Quod evidenter probant acta fratrum Arvalium, ubi maxima cum licentia modo hoc vocabulum modo illud de eodem animali usurpatur ita frequenter, ut exempla afferre supervacaneum esse videatur. Significat autem et *bos femina* et *vacca* hostiam ex armenti feminino genere, quae aetate provecta ad genus propagandum apta est.

imm.: r. R.: Aeternitati imperii. Albionis. Clementiae. Concordiae. Concordiae Agrippinae. Deae Diae. Divis (fem.). Felicitati. Fortunae duci. Fortunae reduci. Iunoni. Iunoni Claudiae Augustae. Minervae. Paci. Providentiae. Saluti p. R. Q. Saluti imperatoris. Securitati. Spei. Vestae matri. Victoriae.

r. G.: Herculi. Honori.

(Dianae). Iunoni. Latonae. Proserpinae.

Quae fetum in alvo fert, hanc *fordam* (*hordam*) pontificum dicendi ratio vocat (Varro r. r. II 5, 6; de l. l. VI 15. Paul. p. 83. 102. Ov. f. IV 631).

imm.: r. R.: (Iunoni). Telluri.

Sterilis denique vacca *taura* nominatur (Varro r. r. II 5, 6. Serv. Aen. II 140. Fest. p. 352).

imm : r. G.: Proserpinae.

iunix vel **iuvenca:** vacca minoris aetatis.

imm.: r. R.: (Iunoni).

r. G.: Herculi. (Bonae Deae).

ab Umbris: Tursae Ioviae.

vitula: vacca primae aetatis.

imm.: r. R.: (Manibus fem.). Minervae.

ab Umbris: Tursae Cerfiae Cerfi Martii.

ovis: de pecoris ovilli femina generatim dicitur.

imm.: r. R.: Adolendae Commolendae Deferundae. Florae. Genetae Manae. Iunoni Claudiae Augustae. Manibus fem. Semoniae.[1]) Vestae. Vestae matri.

r. G.: Dianae. Parcis.

De *cervaria* cf. Paul. p. 57: *cervaria fuit ovis quae pro cerva immolabatur.*

oviculam vel *oviclam* inveni in titulis duobus (CIL VIII 8246. 8247); fuit ovis aevi minoris. Distincte ab *agno* discernitur.

imm.: r. R.: Nutrici. Telluri.

agna vel **agnus,** quia communis generis erat (Paul. p. 6), de ovis prima aetate usurpabatur.

imm.: r. R.: Deae Diae. Iunoni. (Minervae). (Telluri. Tempestati).

r. G.: Veneri.

porca: erat porcus femina quae ad partus edendos idonea erat. Appellabatur etiam *sus* vel *porcus* (Fest. p. 286: *haec porcus*) vel *porcus femina* (Cic. de leg. II 57).

imm.: r. R.: Deae Diae. Iunoni. (Nymphis). Telluri. Vestae.

r. G.: (Bonae Deae). Cereri.

ab Umbris: Praestitae Cerfiae Cerfi Martii.

Si qua fetum in ventre ferebat, ea vel *praegnas* (Macrob. sat. I 12, 20. III 11, 10) vel *plena* (Fest. p. 238) nominabatur.

imm.: r. R.: Iunoni. Telluri.

r. G.: Cereri. Maiae.

ab Umbris: Trebae Ioviae.[2])

De *confeta* cf. Paul. p. 57: *confeta sus dicebatur, quae cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium.*

---

1) *bidentem*, quam memorat Fest. p. 309, huc refero. At non cum Scaligero isto loco *Semoniae res s(acra fieret verve)ce bidente* lego, sed malo *Semoniae res s(acra fieret publi)ce bidente*, quia deabus hostiae feminini sexus immolabantur (cf. p. 12) et *publice* adponi aptissime videtur propter verba *eo sacrificio poena solutis civibus.*

2) cf. p. 22.

porcilias, quarum immolationem acta fratrum Arvalium (CIL VI 2086. 2099. 2103. 2104) referunt, Henzen (*acta fr. Arv.* p. 22) Marinio duce porcas lactentes esse docet.
imm.: r. R.: Deae Diae.

capra: ita hirci femina nominabatur.
imm.: r. R.: Iunoni.
r. G.: Apollini. Parcis.

(h)aedua: capra parvula (CIL VIII 8247).
imm.: r. G.: Veneri.

canis fem.: cf. Paul. p. 45. Fest. p. 285.
imm.: r. R.: Genetae Manae.

gallinae:
imm.: r. G.: Aesculapio.

solitaurilia: Cum supra (p. 9 sq.) ostendisse mihi videar *tauri* verbi sensum esse *unfruchtbar,* de animalibus maribus quibus testiculi dempti sunt *unfruchtbar gemacht* i. e. *verschnitten,* si legimus in tabula Iguvina I B 21 de lustrationis ambitu, in quo et suilli et ovilli et bubuli pecoris animal adhibitum esse e multis litterarum monumentis scimus, *tunc ambito tauris et igne* vertere debemus *dann sollst du den Umgang mit den* (de ablativo cf. Buecheler *Umbrica* p. 98, 56) *unfruchtbaren* (sc. *Opfertieren*) *und dem Feuer vornehmen.* Atque ad haec si Charisii (I 108 K.) verba *a solis maribus* adiungimus, iam apparet tabulae Iguvinae verba supra laudata hanc vim habere: *tunc ambito maiale, vervece, tauro.* Ecce *solitaurilia. Sollum* enim quia idem est atque *totum* et *tela solliferrea* sunt *tela tota ferrea* (Fest. p. 293) i. e. *Geschosse ganz aus Eisen, Geschosse aus lauter Eisen,* non iam dubium est quin *solitaurilia* vel *sollitaurilia* significent *das durch und durch den Begriff tauri* (*Unfruchtbare, Verschnittene*) *Ausdrueckende* i. e. *ein Opfer ganz aus Verschnittenen, ein Opfer aus lauter Verschnittenen.* Haec ansam praebent ad Festi locum depravatum qui est de *solitaurilibus* (p. 293) sanandum, ubi non tres, ut viris doctis Corsseno (*Krit. Beitr.* p. 317), Odofredo Muellero (*ed. Festi* p. 293), Prellero (*R. M.*[3] I p. 420 seq.), sed quattuor de *solitaurilibus* sententiae exarari mihi videntur,

quarum ad secundam quinto loco denuo respicit auctor. Singulae autem opiniones si meas probas emendationes sunt hae:

Solitaurilia hostiarum trium diversi generis immolationem significant: I *tauri, arietis, verris, quod omnes eae solidi integrique sint corporis;* II *contra alii* (cod. *aci*) *tauri* (a me suppletur), *verbicis maialisque* (cod. *verbices maiales qui*), *quia sollum Osce totum et solidum significat — unde tela quaedam solliferrea* (cod. *solii ferria,* emend. O. Mueller) *vocantur tota ferrea, et homo bonarum artium sollers, et quae nulla parte laxata cavaque sunt solida nominantur — atque harum hostiarum omnium inmolati* (cod. *inviolati*) *sunt tauri, quorum* (cod. *quae*) *pars virilis reciditur* (cod. *scilicet creditur*) *in castratione.* III *sunt quidem, qui putent* (cod. *portent,* emend. Ursinus) *ex tribus hostiis praecipue nomen confusum* (cod. *inclusum*) *cum solido tauri, quae* (cod. *taurique*) *amplissima sit earum.* IV *quidam dixerunt omnium trium vocabula confixa, suis, ovis, tauri, et effecisse* (cod. *adeffecisse*) *id, quod uno modo appellarentur universae. quodsi a sollo* (cod. *solio,* emend. Ursinus) *et tauris earum hostiarum ductum est nomen antiquae consuetudinis per unum L enuntiari non est mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo.*

Praeter hunc Festi locum mea *solitaurilium* explicatione lux adfunditur etiam alii, de cuius vera notione viri docti iam desperaverunt, scilicet verbis quae extant apud Charisium (I p. 108,27 K.), ubi recte Keil lacunam indicavit, quam, quia de altera vocis parte ibi dicendum est, non inepte sarcire mihi videor inserens verba *tauris nomen* scribensque sic: *Suovetaurilia quidam putant dicenda a victimis sue ove tauro. Sed Valgius de rebus per epistulam quaesitis solitaurilia dicta ait esse; a solis maribus tauris nomen sumptum esse.* Quid? nihil adiunxi nisi quod in ipso verbo *solitaurilia* inest. *Mares* autem *tauri* sunt *mares steriles* i. e. *mares castrati.* Neque supervacaneum est vocabulum *maribus,* nam etiam feminina animalia sterilia *taurae* vocabantur (Varro r. r. II 5,6. Serv. Aen. II 140. Fest. p. 352).

Commemorantur *solitaurilia* praeter Festi et Charisii allatos locos etiam his locis: Fest. p. 189 (cf. Hertzberg *Philolog.* I 1846 p. 333), Fest. p. 161 (falso traditur *sesita vallium,* cf. Keil *Rh. M.* VI 621), Valer. Max. IV 1,10. Ex his satis apparet, Marti *solitaurilibus* rem divinam factam esse. Si vero a nonnullis scriptoribus de hoc Martis sacrificio etiam *suovetaurilium* vox usurpabatur (Liv. VIII 10,14. Varr. r. r. II 1,20. Cato de agri cult. 141. Tacit. ann. VI 43; hist. IV 53), hoc parum accurate fiebat. Praeter Martem *solitaurilia* nulli deorum fiebant.

imm. r. R.: Marti.

suovetaurilia: Primis Romanorum temporibus certe soli Marti talis trium hostiarum in unum sacrificium quasi confusarum immolatio fiebat. Sed postea, cum et vim sacrificii et originationem verbi obliti essent Romani, ut novos deos in pristinorum numerum recipiebant, ita tale trium animalium sacrificium etiam aliis deis faciebant, id quod maximi momenti in illo sacrificio erat, scilicet sterilitatem hostiarum, neglegentes et generis suilli, ovilli, bubuli coniunctionem rei caput iudicantes. Ita factum est ut pro *solitaurilibus* nomen *suovetaurilia* substituerent. Atque scimus haec *suovetaurilia* immolata esse Iovi (Serv. Aen. IX 624), Dianae Maximae (CIL II 3820), Deae Diae (CIL VI 2099. 2104. 2107).[1]) Deabus autem hostiae feminini sexus (CIL II 3820: *Dianae Maximae vaccam ovem albam porcam,* de quo sacri-

---

[1]) Iniuria Oldenberg (*de sacr. fr. Arv.* p. 44) *suovetaurilium maiorum* sacrificium huic deae factum esse negat, quod bene iam sensit Wissowa (Marquardt *R. St.*² III 460,4). Meae autem causae cur Oldenbergo repugnem sunt hae: primum in lapide certe exaratum esset *solitaurilibus maioribus,* si Marti haec immolatio facta esset (cf. supra): deinde in procuratione ob violationem aedium instituta animalia ei numini mactantur, cuius aedes laesa fuerat (Liv. XXI 62. XXVIII 11). Itaque cum in actis a. 183 (CIL VI 2099) referatur *in luco Deae Diae Q. Licinius Nepos magister operis inchuandi causa, quod in fastigio aedis deae Diae ficus innata esset, eruendam et aedem reficiendam immolavit suovetaurilibus maioribus,* certe etiam haec *suovetaurilia maiora* Deae Diae immolabantur. Similiter res se habet de iis quae narrantur in tab. a. 218 et 224 (CIL VI 2104. 2107).

ficio Theod. Mommsen recte iudicat; cf. Serv. Georg. I 345: *dicit autem ambarvale sacrificium, quod de porca et saepe fecunda et gravida fieri consueverat*) mactabantur. Qua ex re colligi necesse est, Iovi si *suovetaurilia* fiebant, *verrem, arietem, bovem marem* factos esse, neque ullo modo id concedo quod Servius de *tauro* in triumphantium *suovetaurilibus* Iovi factis prodit (Aen. IX. 624: *nam Iovi de tauro non immolabatur . . . . nisi cum triumphi nomine suovetaurium fiebat; quod tamen ideo admissum est, quia non tantum Iovi, sed et aliis diis qui bello praesunt, sacrificatur*). Illa mea sententia de Iovis *suovetaurilibus* etiam hac re probatur quod legimus apud Macrobium (sat. III 10,4) haec verba Atei Capitonis: *itaque Iovi tauro, verre, ariete immolari non licet,* quae verba non licet sic accipere, quasi auctor dicere voluisset *Iovi nec tauro nec verre neque ariete immolari licet* (quia *arietis* immolatio aperte indicatur apud Macrob. sat. I 16,30), sed vetantur *solitaurilia* Iovi fieri (definitio sane horum *solitaurilium* non magis vera est quam ea quam Festus primo loco p. 412 profert et Varroniana r. r. II 1,10).

imm.: Deae Diae. Dianae. Iovi.

Immolationes quas attuli si perlustraveris, cognosces hanc legem certam apud Romanos (et Umbros) extitisse ut si proprio ritu rem divinam faciebant, diis maribus mares, feminis feminas hostias immolarent. Si vero ritu Graeco

Accedit tertia causa: omnia cetera piacula a fratribus Arvalibus in luco facta, si aliud dei nomen non praedicatur, Deae Diae (ob ferri inlationem et elationem CIL VI 2068. 2080: agna et porca; ob ramum vetustate delapsum, ob arbores quae a tempestate deciderant, ob arbores quae a tempestate nivis deciderant, ob arbores laurus caedendas quod tempestatibus perustae erant CIL VI 2028. 2053. 2060. 2065. 2067. 2068. 2075. 2078. 2086: porca et agna) fieri quis est qui neget? Denique Dianae quoque Maximae *suovetaurilia* immolata essa videmus, qua de re non satis valent Oldenbergi verba: *non sine causa conicias, suovetaurilia ubicumque immolentur ad Martem semper redire, cum unicum exemplum huius sacrificii alii deo celebrati in auctoritate Servii (ad Aen. IX 627) admodum lubrica positum sit.*

sacrificabatur, deabus feminina animalia, ut videtur, fiebant, diis tamen hostiae utriusque generis, ut apud Graecos mactabantur. Itaque Arnobii locus VII 19: *sed erras, inquit, et laberis, nam diis feminis feminas, mares maribus hostias immolare abstrusa et interior ratio est vulgique a cognitione dimota* tantum de hostiis ritu Romano immolatis recte stat. Iure Cicero (de leg. II 29) cautius loquitur: *nam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis* quem locum Luebbert falso, ut suam de hostiis opinionem (p. 110: *pontifices sanxerunt ut dis maribus mares, feminis feminae immolarentur (cf. Cic. de leg. 2 § 29)*) probaret, commemoravit. Falso rem diiudicavit etiam Oldenberg (*de sacr. fr. Arv. q.* p. 35 sq.) qui, quod ab ipso probatae legi *ut deis mares, deabus feminae immolarentur* immolatio *vaccae* Honori facta non respondet, contendit hoc *vaccae* verbum errore irrepsisse.

Sex solum exempla a me statutam legem tollere posse videntur, sacrificia

ovis Idulis Iovi
vaccae Penatibus
caprae Vediovi
arietis *Iuvie*
suum gravidarum *Trebo Iovie*
agnae Iovi

facta.

Sed de *ove Iduli* iam sub verbo *ariete* locutus sum et quae ibi disputavi satis firma et idonea mihi argumenta videntur, e quibus *ovem Idulem* non feminam, sed marem fuisse colligamus.

Vaccae vero de sacrificio Penatibus facto haud dubie Henzen (*acta fr. Arv.* p. 85) recte monet: *deos penates, quibus immolatur, penates esse domus imperatoris locus ostendit, quo sacrum fit, idque intellexit etiam Marinius p. 120.* Itaque cum nesciamus utrum illi omnes vel eorum plerique dii fuerint an deae, istud *vaccae* exemplum nihil

valet ad meam legem tollendam. Nihil obstat, quominus inter illos deos Penates dearum numerum praevaluisse coniciamus et eam ob causam hostiam feminini generis sacrificatam esse. Nimis festinanter certe et leviter de hoc sacrificio egit Oldenberg p. 36.

Venio ad *capram* Vediovi mactatam. Prodit de ea Gell. V 12: *Simulacrum igitur dei Vediovis, quod est in aede, de qua supra dixi, sagittas tenet, quae sunt videlicet partae ad nocendum. Quapropter eum deum plerumque Apollinem esse dixerunt, immolaturque ritu humano capra eiusque animalis figmentum iuxta simulacrum stat.* Nullum in his verbis indicium est, ex quo colligendum sit Gellium has res ex nescio quo libro de sacris scripto deprompsisse; immo vero talia sunt quae narrat, ut inde Gellium ipsum aut eius auctorem quondam adiisse illud Vediovis templum, dei simulacrum et prope id caprini pecoris figmentum vidisse, *capris* Vediovi rem divinam fieri audivisse, suspicari non sine probabilitate liceat.

Quarto loco de verbis Umbricis *Juvie unu erietu* dicendum est (tab. Iguv. II A 6). Buecheler (p. 4. 5. 125) haec verba latine vertit *Ioviae unum arietem;* ego malo *arietis* immolationem referre ad *Iovium,* non sine iure, ut mihi videor. Nam *Iuvie*, ut traditur, per se latine significare potest et *Ioviae* et *Iovio* (Buecheler p. 188). Itaque, utrum hoc an illud praeferendum sit, nisi causis ex toto rerum, ut ita dicam, conexu et loci natura depromptis diiudicari nequit. Cum vero nullam causam, cur hoc loco *Ioviae* aries fieret, excogitare potuerim, duas existere puto, ex quibus *Iovio* hoc sacrificium factum esse colligere oporteat: hoc enim ubique in tabulis Iguvinis — uno loco excepto, de quo postea locuturus sum — servatum est, ut diis hostiae mares, deabus feminae mactarentur. Non est igitur, quod nostro arbitrio turbemus illam legem scribentes *Ioviae* pro *Iovio.* Accedit altera causa licet minus gravis tamen non prorsus spernenda; in tota tabula II, in qua traditur illud *arietis* exemplum, dii solum commemorantur, nullius vero deae nomen affertur, ita ut totum hoc sacri-

ficium maribus tantum diis factum esse atque propterea *Iovio* immolari, *Iovia* autem deorum seriem prave interrumpere videatur.

Sequitur *de subus gravidis Trebo Iovie* immolatis (tab. Iguv. I A 7. VI A 58) quaestio. Animalia quibus Buecheler *Trebo Iovio* (p. 16. 63: tab. VI A 58) rem divinam fieri censet, eadem ego *Trebae Ioviae* mactari existimo. Habeo autem causas has: primum quidem tota immolatio tabulae VI respondet ad verbum tabulae I; nam in locis I A 3 : VI A 22; I A 11. 12 : VI B 1; I A 14. 15 : VI B 3; I A 20. 21 : VI B 19; I A 24. 25 : VI B 22; I B 1. 2 : VI B 43; I B 4. 5 : VI B 45; I B 24 : VII A 3; I B 27. 28 : VII A 6; I B 31 : VII A 41; I B 42. 43 : VII A 52. 53 et loca immolationis et numina et hostiae toto inter se congruunt atque in locis I A 7. 8 et VI A 58 eodem modo et loca et animalia inter se consentiunt et numinum nomina excepta una littera. Quid? haec omnia si nobiscum reputamus atque in mentem nobis revocamus, saepius lapidarium, qui litteras tabulis nostris aeneis insculpsit errasse (vide quos Buecheler errores ad unum quodque aes adnotaverit), verisimillimum est etiam loco, de quo agimus (VI A 58), falso eum *Trebo* pro verbo *Trebe* (latine: *Trebae*) exarasse. Accedit, quod eadem ratio errandi extat VI B 3, ubi legitur *ocrifer fisiu* pro *ocriper fisiu* ut nostro loco *Trebo Iovie* pro *Trebe Iovie*, ita ut prima littera *f* (VI B 3) et prima littera *o* (VI A 58) ea de causa irrepsisse videantur, quod lapidarii oculi iam ad sequentem *f* (*fisiu*) et *o* (*Iovie*) aberraverant.

Postremum loquar de *agna* Iovi immolata. Haec solum a Varrone (de l. l. VI 16) commemoratur, hac ratione: *nam flamen Dialis auspicatur vindemiam et, ut iussit vinum legere, agna Iovi facit*. Sed ex iis, quae adhuc protuli, satis apparere puto vel Varronem vel eum cuius auctoritate usus est, errasse atque pro *agna* scribendum esse *agno*.

Nihil valent ad meam sententiam de immolationibus removendam testimonia poetarum. Qui sane haud raro feminas dis, mares deabus mactari referunt: Fauno — agnam

(Hor. c. II 17,32); Iano — agnam (Iuv. VI 392); Iovi — iuvencam (Ov. f. III 366. 375), agnam (Ov. f. I 56); Laribus compitalibus — vitulam, agnam (Tib. I 1, 21 sq.); Laribus familiaribus — porcam (Hor. c. III 23,4); Manibus maribus — ovem nigram (Verg. Georg. IV 546); Termino — agnam, porcam (Hor. epod. 2,59. Ov. f. II 656); Iunoni — vitulum, arietem (*ducem gregis*), porcum (Ov. am. III 13); Tempestati — caprum (Hor. epod. 10,23). Hi enim testes partim non fuerunt arcana pontificalis disciplinae arte satis imbuti, ut non in rebus remotis errarent,[1]) partim sacrificia referunt privata.

Addam in fine huius capitis perpauca de nonnullis sacrificiis, de quibus falso iudicatum esse vel iudicari posse sensi. Atque primum quidem de *capra Aesculapio immolata* dicam. Refert id sacrificium Servius Georg. II 380. Sed recte iam Luebbert, quamquam veram causam non perspiciens, (p. 115) de hac re suspicionem movit his verbis *quod enim Servius Georg. 2,380 narrat Aesculapium, cuius ibidem (h. e. in insula) aedes fuit, capris placari solere, cum ei numini gallinas immolatas esse constet, ad Vediovem praecipue spectare videtur,* at vellem virum doctum non adposuisse *quamquam licet etiam de communi utriusque de sacrificio cogitare, cum non loco solum, sed cultu quoque et vi etiam (Preller p. 238) coniunctissimi semper fuerint.* Hoc enim a Romanorum more prorsus alienum est, duobus numinibus unam sacrificare hostiam. Noli vero mihi in mentem revocare, dis Penatibus vaccam mactatam esse, nam Penates re vera, quamquam plures dei, tamen quasi unum numen erant; neque sus plena, de cuius immolatione Cereri et Herculi facta Macrob. sat. III 11,10 narrat, in uno eodemque sacrificio mactabatur, verum et deo et deae proprio in sacro propria hostia facta esse videtur, quia illa numina communem cultum non habebant. Mea autem causa praeter eam, quod nec Paulus (p. 110) nec Prudentius (apoth.

---

[1]) Bene hoc ea re probatur, quod idem animal nunc *taurum*, nunc *iuvencum*, nunc *bovem* (Verg. Aen. V 473. 366. 477. 481. Iuv. XII 11. VIII 155. X 66. 268) appellant.

v. 272 sq.) capras, sed solum gallinas vel gallos commemorant, est, quod Epidauro Aesculapii cultus Romam advectus est, illo vero loco capras deo valetudinem tuenti mactari nefas esse existimabatur (Pausan. X 32,8; cf. Stengel *Griech. Kultusaltert.* p. 84).

Deinde de *Iovis hostia ex bubulo genere* commemoro haec: et omnes lapides et scriptores, quorum testimonii in hac re ratio habenda est, produnt *bove* vel *bove mari* rem divinam Iovi factam esse. Praeterea traditur nefas fuisse, *taurum* summo deorum immolari (Macrob. sat. III 10,3 et 7). Quid igitur, si apud poetas legimus Iovi sive *tauros* sive *iuvencos* mactatos esse? Nempe sequitur, ut illud falsum sit, hoc non satis accurate dictum vel, ut distinctius loquar, non proprio pontificalis disciplinae verbo. Idem valet de *tauris*, quos Arnobius (II 68) in monte Albano immolari refert, neque mirum est, rhetorem illum Africanum falso *tauros* pro *bubus* posuisse. Illud autem *διουϝει ϝερσορει ταυρομ* aeris cuiusdam in Bruttiorum agro inventi (Zvetajeff *sylloge inscript. oscarum.* Petropoli 1878 p. 81) recte iam Mommsen (*Die unteritalischen Dialekte* p. 192) negavit ad immolationem spectare. Tota enim aeris natura, de qua conferas Zvetajeffium, et inscriptionis indoles non sacrificium indicant, sed dedicationem nescio cuius simulacri.

Non aliter res se habet cum *bove Marti immolato*. Hunc bis commemoratum inveni (Liv. VII 37. Plin. n. h. XXII 9), non accurate, nam ex omnibus aliis locis *tauri* sacrificium belli deo sollemne fuisse satis constat. Sed facilis res est explicatu. In loco enim Liviano, quia consul P. Decium *centum bubus eximioque uno albo opimo auratis cornibus donat,* quem quidem postea Marti facit dux strenuus, manifestum est *bovis* vocabulum generatim de bubulo genere, non vero de certa hostiae specie dici, ita ut isti *boves* partim *boves mares* partim *boves feminae* partim *tauri*, si pontificum sollemnibus verbis uti volumus, esse potuerint. Similiter locus Plinianus explanandus est.

V.

De nonnullis hostiarum cognominibus.

Agonia ab *agendo* i. e. *caedendo* (Fest. p. 251) eadem ratione dicitur, qua hostia ab hostiendo; ceterum cf. quae de vocibus *agonium* et sim. disputavit Wissowa *de feriis anni Roman. vetustissimi observationes selectae* p. XII.

ambarvales appellantur hostiae, quae in lustratione agrorum circum arva ducuntur et deinde ab iis, qui pro frugibus faciunt, immolantur (Macrob. sat. III 5,7). Similiter Paulus p. 5: *Ambarvales hostiae dicebantur, quae pro arvis a XII fratribus* (coni. Ant. Augustinus, comm. Mommsen; traditur *a duobus fratribus*) *sacrificabantur.*

ambigna hostia: legimus apud Paul. p. 4 *ambegni* (codd. deteriores *ambigni*) *bos et verbix appellantur, quum ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur;* cf. Varro de l. l. VII 31: *ambiegna bos apud augures, quam circum aliae hostiae constituuntur* (Fulgentii definitionem de abstr. serm. p. 560 Merc., quia hominis malignitas perspecta est, neglegendam esse censeo). In propatulo est, his locis de una eademque hostiae specie agi, scilicet de animali, quod in sacrificio aliis circumdatur, ita ut haec omnia unum tantum sacrum efficiant. Verum nomina non consentiunt, nam illic *ambegna,* hic *ambiegna* vocatur hostia. Atque *ambiegna* nullo modo stare potest, quia *i* in *ambi* semper perit in compositis verbis alteri vocali (etiamsi haec fuit *e: amb-edo, amb-est* Paul. p. 4) antecedens. Ergo aut *am-bigna* aut *amb-egna* scribendum est, ita ut aut de *bignis* (cf. Paul. 33: *bignae geminae dicuntur, quia bis una die natae sunt*) aut de *agnis* hostia nomen duxerit. Illud si statuimus, *bos ambigna* est ea, quae cum immolatur *bignas* (*bignos*) aut peperit aut peperisse fingitur atque eis circumdata sacrificatur. Atque duae sunt causae, cur haec lectio probabilis videatur; prima est quod Varro, si scripsisset *amb-egna,* ita ut re vera in tali sacrificio agni cum bove immolati essent, certe non dixisset *aliae hostiae* sed *agni;* altera

est, quod animalis distincte praedicatur sexus femininus atque habemus suilli pecoris simillimum sacrificium (cf. Paul. p. 57: *confeta sus dicebatur, quae cum omni fetu adhibebatur ad sacrificium*). Verbicis vero apud Paulum mentio ex falso ab agnis veriloquio prodiisse videtur.

amburbiales eas hostias fuisse, *quae circum terminos urbis Romae ducebantur*, bene Paulus p. 5 nos docet.

animales: hoc verbum quid significet ut exponamus, valde nos adiuvat locus ex Trebatii libro primo de Religionibus (Macrob. sat. III 5, 1) depromptus. Audimus enim, duo hostiarum genera discreta esse, alterum in quo voluntas dei per exta disquirebatur, alterum in quo sola anima deo sacrabatur, nulla extorum disquisitione adhibita. Hinc factum est, ut haec animalia, de quibus modo dixi, *animales* vocarentur. Consentit cum Trebatii definitione Serv. Aen. IV 56. Brevius rem explicat Servius Aen. III 231 locutus: *sunt autem hae animales hostiae, quae tantum immolantur.*

aurata erant animalia si cornua auro ornata habebant (Plin. n. h. XXXIII 12: *Deorum vero honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam ut auratis cornibus hostiae, maiores dumtaxat, immolarentur.* Verg. Georg. I 217: *candidus auratis aperit cum cornibus annum taurus.* Verg. Aen. IX 627: *et statuam ante aras aurata fronte iuvencum*). Atque hoc valde usitatum fuisse in sacrificiis satis multa exempla demonstrant (Acta fr. Arv. Liv. XXV 12. Macrob. sat. I 17, 29. Tertull. Idolol. 6). Neque tamen necessarium fuisse hoc decus optime ex actis fratrum Arvalium cognosci potest, quia in iis nunc hostiarum cum auri ornamento nunc sine hoc mentio fit. Immo vero si adhibebatur aurum, aliquid ultra honorem debitum superaddi videbatur, quod pompam solum augeret. Quod autem ad animalium speciem attinet, ex Liv. XXV 12 et Macrob. sat. I 17, 29 sequitur, non solum armenti verum etiam pecudis cornua in sacris auro decorata esse.

Praeter *auratas* Henzen in act. fr. Arv. a. 224 (CIL VI 2107) etiam *boves feminas auro iunctas* commemorari

repperit; has autem non differre a *bubus cornuis auro iugatis* (p. 144).

caviares hostiae: quae traduntur apud Paul. p. 57 ego sic emendanda esse arbitror: *caviares hostiae dicebantur, quod caviae pars hostiae cauda tenus dicitur, et ponebatur* (sc. ea pars) *in sacrificio pro collegio pontificum quinto quoque anno.*

consultatoriae vocabantur hostiae, quae nisi extis ante inspectis non immolabantur. Ex hisce enim extis, i. e. iecinore, felle, pulmone, corde, omento, haruspices perspicere iussi erant, utrum animal deo placeret necne, ita ut quasi numen consuleretur (Macrob. sat. III 5, 1).

effugia: explicatur id verbum a Servio (Aen. II 140) hoc modo: *hostia quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, effugia vocari vetere more solet.*

immolatae vocantur animalia, quae mola salsa perspersa atque hac ratione consecrata sunt. Quod docet Servius Aen. IV 57.

infulatae: de quo vocabulo Varro de l. l. VII 24 sic scribit: *infulatas hostias, quod velamenta his e lana quae adduntur, infulae,* quocum conferas Paul. p. 113: *infulae sunt filamenta lanea, quibus sacerdotes et hostiae templaque velantur* et Serv. Aen. X 538: *infula, fascia in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent: quae plerumque lata est, plerumque tortilis de albo et cocco.*

iniuges, quae adhuc non domitae sunt neque iugum subierunt; cf. Paul. p. 113 et Macrob. sat. III 5, 5.

mactae sunt hostiae, ubi primum tus vel vinum super eas funditur. Id testatur Serv. Aen. IX 641. Eandem vocabuli stirpem esse atque eam, quam habet *mag - nus,* bene demonstrat Corssen *Krit. Beitr.* p. 423.

mactatae appellantur hostiae, cum securi vel malleo humi prostratae sunt parsque aliqua earum in aram data est (Serv. Aen. IV 57).

medialis: refert de hac Festi verba sine dubio corrumpens Paulus p. 124: *medialem appellabant hostiam atram, quam meridie immolabant.*

optata vel **optima** est hostia, *quam aedilis tribus constitutis hostiis optat quam immolari velit* (Fest. p. 186).

praecidanea hostia: nomen derivandum est a *praecidere*, quod ponebatur pro *antecidere* id est *ante immolare* (Paul. p. 252). Quam ob rem luce clarius est, eam hostiam significari, quae mactatur antequam res aliqua sacra perficiatur. Atque primum quidem inter has hostias referebant animalia, quae ante sacrificia sollemnia pridie (Gell. IV 6, 7) immolabant eo consilio ut, si in hisce sollemnibus sacrificiis quid peccaretur, deorum iam ante sibi pararent veniam. Quorum in numero certe habenda est agna, de qua Paulus p. 223: *praecidanea agna vocabatur, quae ante alias caedebatur.* Deinde vero etiam *porca praecidanea* illis hostiis adnumeranda est, quae ab agricolis immolari solebat. Quo de sacrificio inter sacra popularia (*quae omnes cives faciunt* Fest. p. 253) relato Cato de agricult. 134. Varro apud Non. p. 163. Paul. p. 219. 223. Gell. IV 6, 7. Mar. Vict. VI 25 K. fusius tractant. Fiebat autem illud sacrum initio solum ab eo, *qui mortuo iusta non fecisset, id est glebam non obiecisset, quia mos erat eis id facere priusquam novas fruges gustarent* (Paul. p. 223). Posterioribus vero temporibus etiam si quis verebatur, ne nescio quod piaculum committeret, *porca praecidanea* ab eo mactabatur (cf. Luebbert *commentat. pontific.* p. 78). Itaque factum est, ut immolationem in universum spectare ad sementem agricolae crederent.

praesentanea porca erat ea, quae familiae purgandae causa in conspectu mortui, unde nomen duxit, sacrificabatur (Fest. p. 250. Marius Victor. VI 25 K.).

prodigua hostia, Veranio tradente, vocabatur quae consumebatur (Fest. p. 250). Hoc quid significet bene intelleges, si tecum reputaveris luxuriosos homines etiam *prodigos* appellari (Fest. l. c.), idem esse *prodegeris, consumpseris, perdideris* (Fest. p. 229) atque plerorumque animalium mactatorum partes tantum quasdam post mactationem crematas esse voluntate deorum per exta disquisita (Macrob. sat. III 5,1), unde *consultatoriae* etiam appellabantur, cum aliae hostiae, in quorum sacrificio anima quasi pro anima deo

sacrabatur, *animales* nominarentur totaeque igne comburerentur. Iam apertum est, *prodiguas* hostias et *consultatorias* non nisi nomine inter se differre.

Pro verbi forma modo allata acta ludorum saecularium (*Ephem. epigr.* VIII p. 230) praebent *prodigivas* (sc. hostias). Comparat, ut quomodo *prodiguus* et *prodigivus* cohaereant ostendat, Mommsenus in commentario suo illorum actorum (*Ephem. epigr.* VIII p. 261) verba haec *festus festivus, status stativus, tempestus tempestivus, votus votivus, nocuus nocivus, vacuus vacivus.*

propria hostia memoratur in actis ludorum saecularium (*Ephem. epigr.* VIII p. 231). De cuius natura Mommsenus (commentar. ad acta lud. saecul. in *Ephem. epigr.* VIII p. 261) locutus *mihi visa est victima propria dici numini ei, cui immolatur ideo, quod dono ei datur* errasse, recte vero Fridericus Schoell iudicasse mihi videtur, qui allato loco Plauti capt. 860 seq. *iube vasa tibi puer adparari ad rem divinam cito atque agnum adferri proprium pinguem* aliisque locutionibus ut *victoria propria* (auctor belli Afric. 32. 82), *proprium gaudium* (l. c. 61) contendit qualitatem victimae perfectam et numini, cui offertur, omnimodo accomodatam verbo *proprio* inlustrari.

propudianus (traditur *propudi ait*) porcus, Ateium Capitonem si auctorem sequimur, erat hostia piacularis, quae, ut *exsolutio omnis contractae religionis* esset, in sacrificio gentis Claudiae fiebat (Fest. p. 238). De verbi originatione licet conferre Paul. p. 227 *propudium dicebant, quum maledicto nudare turpitudinem volebant, quasi porro pudendum. Quidam propudium putant dici, a quo pudor et pudicitia procul sint.*

sollemnis: hoc vocabulum etiam de hostiis proprio sensu usurpatum esse docet locus Livianus (I 7, 13), ubi extat *ne extis sollemnium vesceretur.* Atque *sollemnia* quidem *sacra* dicebantur, *quae certis temporibus annisque fieri solebant* (Fest. p. 344), haud diversa a *statis sacrificiis,* quae memorat Festus p. 344 hoc modo: *stata sacrificia sunt, quae certis diebus fieri debebant.* Utrique Festi definitioni optime

respondent Livii verba, quia ea de bove uno quoque anno ad aram maximam Herculi immolata dicuntur. Unde sequitur, ut *hostiae sollemnes* fuerint eae, quae in *statis sacrificiis* fiebant. Praeter locum supra laudatum tabulae Iguvinae talia memorant animalia: II A 4. 5 (*bovem soll.*) II A 10 (*ovem soll.*) II A 11 (*aprum soll.*) II A 20 (*catulum hostiam sollemnem*) II B 8 (*suem agonalem sollemnem*) II B 10 (*caprum agonalem soll.*) III 26 (*ovem soll.*).

succidanea *hostia dicebatur, quae secundo* (traditur *secunda*) *loco caedebatur, scilicet sic appellata a succedendo* (Paul. p. 303). Verisimilius vero est, non a *succedendo*, sed a *succidendo* (= *sub-caedendo*) verbum derivandum esse (cf. Gell. IV 6, 5: *Succidaneae autem hostiae dicuntur, ae littera per morem compositi vocabuli in i litteram tramutata, quasi succidaneae appellatae.* Paul. p. 252: *praecidere antecidere, id est ante immolare;* p. 223 de praecidanea agna, p. 219 de praecidanea porca). Causam, cur sacrificata sit, prodit adnotatio Serviani qui dicitur commentarii (Aen. II 140): *nam hostia, quae ad aras adducta est immolanda, si casu effugeret, effugia vocari veteri more solet; in cuius locum quae supposita fuerat, succidanea.* Neque dubium est quin eae quoque hostiae, quas, ut litationem impetrarent, post priores victimas (Gell. IV 6, 6: *Si primis hostiis litatum non erat, aliae post easdem ductae hostiae caedebantur, quae, quia prioribus iam caesis luendi piaculi gratia subdebantur et succidebantur, succidaneae nominatae*), si illarum iecinori caput defuerat (Liv. XLI 15) vel viscera nescio quo alio pacto praeceptis haruspicinae non convenerant, mactabant, *succidaneae* nominandae fuerint; nam secundo loco aequo modo, ut quae pro effugia fiebat hostia, hae quoque immolabantur (cf. Suet. Caes. 81. Liv. XLI 15: . . *alter consul* . . *se tribus bubus perlitasse negavit. Senatus maioribus hostiis usque ad litationem sacrificari iussit*). Opinionem ab ea, quam modo rettuli, toto caelo diversam de *hostia succidanea* locus Serviani commentarii hisce verbis proponit (Aen. VIII 641): *Iungebant foedera porca . . . falso autem ait porca; nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur. ergo aut*

usurpavit genus pro genere, ut timidi venient ad pocula dammae, . . . aut certe illud ostendit, quia in omnibus sacris feminini generis plus valent victimae, denique si per marem litare non possent, succidanea dabatur femina; si autem per feminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat. At haec nihili habenda sunt, quia commentator istam doctrinam ipse finxit, ut *porca* pro *porco* a Vergilio dictum explanaret; nam, cum deorum quisque, ut infra ostendetur, suam et quasi propriam hostiam certi sexus habeat atque alia si immolatur piaculum dandum sit (Macrob. sat. III 10, 7), credi nequit in omnibus sacris feminini generis plus valuisse victimas. Ceterum Servii notae *denique si per marem . . . non poterat* Livii verba *alter consul curam adiecit, qui, quod caput iecineri defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. senatus maioribus hostiis usque ad litationem sacrificari iussit* prorsus repugnant.

vittatae nominabantur hostiae propter vittarum decus, quae scilicet erant velamenta ab infula dependentia ab utraque parte. Conferendum est, quod protuli de *infulatis*.

VI.

Quae cuique deo animalia immolata sint.

Elenchus, qui hoc capite datur, quae cuique deo animalia mactata sint titulorum et litterarum testimoniis, ut erat propositum, inlustrat. Ita autem progrediendum est, ut primum Romanorum sive ritu Romano sive ritu Graeco facta sacrificia, deinde Umbrorum referantur atque deorum series a deabus segregetur, ubique immolationibus publicis a privatis, quae quidem certam legem non servasse non mirum est, quia privatus quidquid habebat sacrificabat, seiunctis, et causarum, ex quibus res divina fiebat, quantum quidem fieri potest ratione habita.

Immolabantur

Divis *bos mas* ab Arvalibus ob Augustalia (CIL VI 2041), ob natalem imper. (2028), pro salute et reditu, ob supplicationes et vota pro salute imp. (2042. 2051).

ob appellationem patris patriae, ob introitum consulatus, ob imperium, ob ingressum, ob laurum (2032. 2059. 2044).

vitulus in sacris privatis (Prudent. c. Symm. I 247).

vervex ab Arvalibus in sacris piacul. (CIL VI 2099. 2104. 2107).

agnus in sacris privatis (Prudent. c. Symm. I 247).

Famulis divis *verveces* ab Arval. in sacris piacul. (CIL VI 2099. 2107).

Fauno *canis* | *caper* } Lupercalibus a lupercis (Plut. q. r. 68. 111; Rom. 21. Valer. Max. II 2, 9).

haedus | *ovis fem.* | *agna* } in sacris privatis (Hor. c. III 18, 5. Ov. f. IV 653. Hor. c. II 17, 32).

Fonti *verveces* ab Arval. in sacris piacul. : CIL VI 2099. 2104. 2107.

haedus | *ovis fem.* } in sacris privatis (Hor. c. III 13, 3. Ov. f. III 300).

Genio imperatoris *taurus* ab Arval. ob natalem imp. (CIL VI 2041. 2042), pro salute et reditu, ob supplicationes pro salute, ob salutem victoriamque imp. (2042. 2060. 2086), ob imperium, ob tribuniciam potestatem, ob comitia consularia, ob laurum, ob adoptionem (2041. 2044. 2051), in sacro piaculari (2107).

Genio p. R. *taurus* ab Arval. ob imperium (2051. 2060), ob comitia tribuniciae potestatis (2051).

Genio privati *agnus* | *porcus* } in sacris privatis (Hor. c. IV 11, 7 sq. III 17, 5).

Iano *aries* Agonalibus (Varro de l. l. VI 12. Paul. p. 10. Ov. f. I 317), ab Arval. in sacris piacular. (CIL VI 2000. 2104. 2107).

agna in sacro privato (Iuv. VI 392).

Iovi *bos mas* ab Arvalibus ob natales principum (CIL VI 2028—2030. 2039. 2041. 2042. 2051), pro salute, ob salutem (2034. 2042. 2051. 2060. 2064. 2065. 2067. 2086. 2099. 2100), ob vota annua (2055.

2060. 2064. 2065. 2067. 2099. 2108), ob imperium (2028. 2041. 2044. 2051. 2060), ob introitum consulatus (2039), ob tribuniciam potestatem (2039. 2041. 2051. 2060), ob comitia consularia (2042. 2051), ob appellationem patris patriae (2032), ob laurum positam (2051), ob detecta nefariorum consilia (2029. 2065), ob adventum (2043. 2052. 2078), in dedicatione spoliorum opimorum (lex de spol. opim. apud Fest. p. 189), in sacris privatis (Iuv. X 65. 268. Ov. f. V 516), in sacro privato piacul. (inscript. in bulletino dell' inst. 1879 p. 68).

iuvencus in sacris publicis et privatis : Verg. Aen. IV 627. Ov. f. I 83. Iuv. VIII 155 al.

taurus[1]) in sacris publicis et privatis (Dion. Hal. IV 49. Arnob. II 68. Serv. Georg. II 146. Ov. met. IV 756. Sil. It. VI 647. XV 253. Laur. Lyd. de mens. IV 36 al.).

iuvenca in sacro publico (Ov. f. III 366. 375).

vitulus in sacris privatis (Hor. c. IV 2, 54—60. Iuv. XII 7. XIII 117).

aries omnibus nundinis in regia (Macrob. sat. I 16, 30).

ovis Idulis omnibus Idibus in regia (Paul. p. 74. Macrob. sat. I 15, 16. Ov. f. I 56. 588).

vervex ab Arval. in sacris piacul. (CIL VI 2099. 2104. 2107), a sacerdotibus Saturni (CIL VIII 8246. 8247).

bidentes in fulgurum procuratione (Paul. p. 24. Fest. p. 284).

agnus (traditur: *agna*) Vinalibus (Varro de l. l. VI 16).

porcus in foedere pangendo (Liv. IX 5), in sacro privato (Iuv. XIII 117).

suovetaurilia in triumphantium sacro (Serv. Aen. IX 624).

Laribus compitalibus *vitula*, *agna*, *porcus* } in sacris privatis (Tib. I 1, 21. 22. Prop. IV (V) 1, 23).

---

[1]) cf. p. 24.

Laribus familiaribus *vervex* | *porcus* | *porca* } in sacris privatis (Cic. de leg. II 55. Hor. sat. II 3, 165; carm. III 23, 4).

Laribus luci Deae Diae *verveces II* ab Arval. in sacris piacul. (CIL VI 2099. 2107).

Laribus militaribus *taurus albus* ab Arval. ob salutem victoriamque imp. (2086).

Lari viali *taurus* ab Arval. ob imp. ingressum ad hiberna Nicomediae (2103).

Manibus *bos ater* ab Arval. memoriae Cn. Domiti ante domum Domitianam in sacra via (2039. 2041), Pisis ex decreto quodam publice quotannis Manibus L. Caesaris Augusti Caesaris filii (CIL XI 1420).

ovis ater Pisis ex causa modo prolata (l. c.), in civitatis devotione (Macrob. sat. III 9, 11).

pecudes nigrae (Feralibus) in sacrificiis privatis (Paul. p. 85. Lucret. III 52).

ovis nigra in sacro privato (Verg. Georg. IV 546).

Marti *solitaurilia* in lustro condendo (Val. Max. IV 1, 10. Dion. Hal. IV 22, 1. Varro r. r. II 1, 10 *suovetaurilia*, cf. Fest. p. 160), in dedicatione spoliorum opimorum (lex de spol. opim. apud Fest. p. 189), in sacris piacularibus (Liv. VIII 10, 14 *suovetaurilia*), in privata lustratione agri (Cato de agric. 141 *suovetaurilia*).

equus Equirriis et Id. Octobr. (Paul. p. 81. 220. Fest. p. 178).

taurus (cf. Macrob. sat. III 10, 4) ab Arval. pro salute et reditu (ob salutem) imp. (CIL VI 2042. 2051. 2074. 2086), ob imperium (2051. 2060), ob laurum positam (2051), ob adventum imp. (2078).

aries ab Arvalibus in sacris piacularibus (2099. 2107).

verres in sacro privato (Pompon. apud Gell. XVI 6, 7 = Macrob. sat. III 9, 4).

Quirino *agnus* in dedicatione spoliorum opimorum (lex de spol. opim. apud Fest. p. 189).

Robigo (cf. Preller *R. M.* II 44,2) *canis* (*catulus*) Robigalibus (Ov. f. IV. 908. 936. Varro r. r. I 1,6; de l. l. VI 16. Paul. p. 267).

ovis Robigalibus (Ov. f. IV. 908. 935).

Saturno *taurus* a sacerdotibus Saturni (CIL VIII 8246. 8247).

agnus ab iisdem (l. c.), in sacro privato (CIL VIII. 4468).

Silvano *agnus*, *haedus*, *porcus* } in sacris privatis (Martial. X 92,7. CIL VI 595. 666. Iuv. VI 447).

Summano *verveces atri II* ab Arval. in sacris piacul. (CIL VI 2107).

bidentes in fulgurum procuratione (Fest. p. 229. Paul. p. 33).

Termino *oves* (*pecus lanigerum*) in sacro publico (Ov. f. II 681).

agnus, *agna*, *porca* } in sacris privatis (Ov. f. II 655. 656. Hor. epod. 2,59).

Testimonio *vervex* a sacerdotibus Saturni (CIL VI 8246. 8247).

Vediovi *ovis* in urbis devotione (Macrob. sat. III 9,11).

caper (traditur: *capra*) in sacro publico (Gell. V 12,12).

Volcano *vitulus robeus*, *verres* } Volcanalibus in colle Quirinali (CIL VI 826).

maenae Volcanalibus (Fest. p. 238. Varro de l. l. VI 20).

Aesculapio *gallinae* in aede in insula sita (Paul. p. 110).

Apollini *taurus* in sacro non distincte inlustrato vel privato (Macrob. sat. III 10,3. Serv. Aen. III 118. Sil. It. III 218. 219).

bos in sacro publico piacul. (Liv. XXV 12. Macrob. sat. I 17,29).

iuvencus in sacro privato (Martial. IX 42).
capra in sacro publico piacul. (Liv. XXV 12. Macrob. sat. I 17,29).

Diti *bos furvus* ludis saecularibus antiquioribus rei publicae liberae (Val. Max. II 4,5. Censor. de d. n. 17,8).
bos et ovis iisdem sacris (oraculum saeculare; cf. Diels *Sib. Bl.* p. 113. 115).
taurus in sacro privato (Hor. c. II 14, 5—8).
ovis ater in devotione urbis (Macrob. sat. III 9,11).
nigrae pecudes in sacro privato (Tib. III 5,33. Sil. It. VIII. 119. 120. XIII 405. 415).

Herculi *taurus* (cf. Serv. Aen. VIII 183) ab Arval. pro reditu imp. (CIL VI 2074).
iuvencus, *iuvenca, bos fem.* } in sacro publico apud aram maximam facto (Dion. Hal. I 39. Varro de l. l. VI 54. Liv. I 7,12).
agnus a sacerdotibus Saturni (CIL VIII 8246).
bidens in sacro privato propter reditum facto (Fest. 229. Non. p. 53. Macrob. sat. II 2,4).
porcus a sacerdote in sacro quod lapis ante oculos proponit (Zoega *Bassiril.* II *tab.* 68. *Bull. dell' inst.* 1831 p. 4. Visconti-Guattani *Mus. Chiaram.* tab. 21).
sus praegnas (cf. p. 23).
capo a sacerdotibus Saturni (CIL VIII 8247).

Honori *vacca* ab Arval. ob detecta nefariorum consilia (CIL VI 2044).

Iovi *bos mas* ludis saecularibus Augusti (acta lud. saec. in *Ephem. epigr.* VIII p. 231).

Libero *hircus, caper* in sacris incertis (Serv. Aen. III 118. VIII 43. 443; Georg. II 380. Varro r. r. I 2, 19. Ov. f. I 354).
hircus a Tusco haruspice (Martial. III 24,2).
caper in sacro privato (Hor. c. III 8,6. 7).

Mercurio *bos* in sacro privato (Pers. II 44).
vitulus in sacro privato (Ov. met. IV 756).
caper in sacro non distincte inlustrato (Arnob. VII 21).
haedus a sacerdotibus Saturni (CIL VIII 8246. 8247).

Neptuno *taurus* (cf. Serv. Aen. II 202. III 118) ab Arval. pro reditu imp. (CIL VI 2074), in sacro privato Sil. It. XV 252. 253. XVII 50).

Adolendae Commolendae Deferundae *ovis* in sacro piacul. ab Arval. (CIL VI 2099. 2104. 2107).

Aeternitati imperii *vacca* ab Arval. ob detecta nefariorum consilia (2044).

Albionis *bos alba* in luco Albionarum trans Tiberim (Paul. p. 4).

Clementiae *vacca* ab Arval. ob supplicationes a senatu decretas (CIL VI 2044).

Concordiae *vacca* ab Arval. ob natalem imp. vel eius uxoris (2039. 2042).

Concordiae Agrippinae *vacca* ab Arval. ob natalem Agrippinae.

Deae Diae *vacca* ab Arval. in sacro honorario prope aram deae ante lucum (2030. 2051. 2053. 2060. 2065. 2067. 2075—2080. 2081. 2096. 2099. 2104), ab Arval. in Capitolio ob comitia pontif. max. Othonis (2051), in sacro piaculari (2099. 2104. 2107).

suovetaurilia ab Arval. in sacro piaculari (2099. 2104. 2107).

agna opima ab Arval. in sacro alterius diei in luco (2041. 2044. 2060. 2065. 2067. 2075—2080. 2086. 2099. 2104), in sacro piac. ob ferri inlationem vel elationem (2079. 2080. 2082. 2083. 2086. 2099. 2106. 2107).

porca in sacro piac. luci coinquendi et operis faciendi causa (2042. 2044. 2051. 2053. 2060. 2065—2067. 2075. 2076—2081. 2086. 2099. 2104), in sacro piac. ob ferri inlationem et elationem (2060. 2079. 2080. 2082. 2083. 2086. 2099. 2106. 2107).

porciliae in sacro piac. ob ferri inlationem et elationem (2103. 2106).

Divis *vacca* ab Arval. ob imperium, ob laurum Neronis (2041. 2044), pro salute et reditu imp. (2051).

Felicitati *vacca* ab Arval. pro salute et reditu imp. (2042. 2051), ob imperium, ob appellationem patris patriae (2051. 2032), ob supplicationes a senatu decretas (2044).

Felicitati publicae *vacca* ab Arval. ob imperium Neronis (2041), ob natalem Neronis (2042).

Florae *ovis* ab Arval. in sacro piacul. (2099. 2104. 2107).

Fortunae duci *bos fem.* ab Arval. ob ingressum imp. ad hiberna Nicomediae (2103).

Fortunae reduci *bos fem.* ab Arval. pro salute et reditu (ob salutem victoriamque) imp. (2074. 2086).

Genetae Manae *canis* in sacro privato (Plut. q. R. 52).

catulus in sacro quod non distincte inlustratur (Plin. n. h. XXIX 58).

Iunoni *vacca* ab Arval. ob vota annua (2055. 2060. 2064. 2065. 2067. 2099. 2108), pro salute vel ob valetudinem (2034. 2042. 2051. 2060. 2065. 2086. 2099. 2100), ob natales principum (2030. 2037. 2039. 2041. 2042), ob imperium (2028. 2041. 2044. 2051. 2060), ob tribuniciam potestatem (2039. 2041. 2051. 2060), ob comitia consularia (2042. 2051), ob introitum consulatus (2039. 2042), ob appellationem patris patriae (2032), ob laurum positam (2051), ob supplicationes a senatu decretas (2044), ob detecta nefariorum consilia (2044), ob adventum imp. (2043 2052), in sacrificio piacul. publico (Liv. XXVII 37).

bos praegnas in sacro privato (Plut. Numa 12).

iuvenca in sacro publico Faliscorum (Ov. am. III 13, 13), in sacro privato (Iuv. VI 48).

agna in sacro omnibus Kalendis a regina sacrorum in regia facto (Macrob. sat. I 15,19), in sacro privato piaculari a paelicibus quae aram Iunonis tetigerunt (Paul. p. 222), in sacro privato (Iuv. XII 3).

porca in sacro omnibus Kalendis a regina sacrorum in regia facto (Macrob. sat. I 15,19), in sacro privato (Verg. Aen. VIII 43 sq.).

sus plena in sacro piaculari (Cic. de div. I 45,101).
capra in sacris Iunonis apud Faliscos (Ovid. am. III 13, 18 sqq.) et fortasse etiam Caprotinae Romanorum (vide quae Roscher disseruit in lexico mythol. II p. 587 sq. 599).
vitulus, aries (*dux gregis*), *porcus* in sacro publico Faliscorum (Ov. am. III 13,15 sqq.).
Iunoni Claudiae Augustae *vacca* ab Arval. ob adventum Neronis, Poppaeae, Claudiae (CIL VI 2043).
Iunoni Messalinae *vacca* ab Arval. ob adventum Neronis (2044).
Iunoni Iuliae Augustae *vacca* ab Arval. ob salutem victoriamque imp. (2086).
Iunoni Deae Diae *ovis* ab Arval. in sacro piaculari (2099. 2104. 2107).
Manibus *ovis atra* in sacrificio piaculari (CIL X 8259).
vitula in sacro privato (Verg. Georg. IV 547).
Matri Larum *ovis* ab Arval. in sacro piac. (CIL VI 2099. 2104. 2107).
Minervae *vacca* ab Arval. ob easdem fere causas quibus Iunoni res divina fiebat; in sacro privato (Ov. met. IV 755).
vitula in sacro cuius natura non inlustratur (Arnob. VII 22).
agna in sacro privato (Ov. trist. I 43).
Nutrici *ovicula* a sacerdotibus Saturni (CIL VIII 8246. 8247).
Nymphis *porca* in sacro privato (Martial. VI 47,5).
Paci *vacca* ab Arval. ob laurum imp. (CIL VI 2044).
Penatibus *vacca* ab Arval. pro salute et reditu Neronis ante domum Domitianam (2042).
Providentiae *vacca* ab Arval. ob supplicationes indictas pro salute imp. (2042).
Saluti imperatoris *bos fem.* ab Arval. ob ingressum ad hiberna Nicomediae (2103).
Saluti publ. p. R. *vacca* ab Arval. pro salute imp. (2042. 2051. 2060. 2065. 2074. 2099), ob natales principum (2039—2042), ob imperium (2051. 2060),

ob tribuniciam potestatem (2051), ob laurum Othonis (2051), ob adventum Neronis, Poppaeae, Claudiae (2043).

Securitati *vacca* ab Arval. ob adoptionem Serv. Sulpicii Galbae Caesaris (2051).

Semoniae *bidens* in sacro non satis certo (Fest. p. 309).

Spei *vacca* ab Arval. ob adventum Neronis, Poppaeae, Claudiae (2043).

Telluri *bos forda* Fordicidiis (Varro de l. l. VI 15; de r. r. II 5,6. Paul. p. 83. 102. Ov. f. IV 630. 665).

sus gravida (Arnob. VII 22) in sacrificio privato (Ov. f. I 671).

porca praecidanea ante messem faciendam ab eo, qui mortuo iusta non fecerat (Varro apud Non. p. 163).

ovicula a sacerdotibus Saturni (CIL VIII 8246).

agna } privatim (Verg. Aen. VI 250. Hor. epist.
porca } II 1,143).

Tempestati *agna* } sacrificio privato (Verg. Aen. III 120.
caper } Hor. epod. 10, 23 sq.).

Vestae *bos fem.* ab Arval. pro salute et reditu imp. (CIL VI 2074).

porca in sacro privato (Wissowa *ann. dell' inst.* 1883 p. 164).

ovis ab Arval. in sacrif. piaculari (CIL VI 2099. 2107).

Vestae deorum dearumque *ovis* ab Arval. in sacrificio piacul. (2107).

Victoriae *vacca* ab Arval. ob salutem victoriamque imp. (2086), pro reditu imp. (2074), ob tribuniciam potestatem (2051), ob laurum positam (2051).

Virginibus Divis *ovis* ab Arval. in sacrificio piaculari (2099. 2107).

Bonae Deae *iunix alba* in sacro privato ob lumina restituta (CIL VI 68).

porca in sacrificio privato (Iuv. II 86).

Cereri *porca* in sacris, quorum natura non inlustratur (Serv. Georg. II 380; Aen. III 118. Ov. f. I 349. 672. IV 414).

sus praegnas a. d. duodecimum Kal. Ianuar. (Macrob. III 11, 10), in agri lustratione (Serv. Georg. I 345).

porca praecidanea sacro piaculari ab eo qui mortuo iusta non fecerat (Cato de agric. 134. Varro apud Non. 263. Paul. p. 223. Gell. IV 6, 8. Mar. Vict. p. 25), ab agricolis antequam novam frugem praeciderent (Paul. p. 219).

porca praesentanea sacro privato familiae purgandae causa in conspectu mortui (Fest. p. 250).

Dianae *vacca* in sacro privato (Liv. I 45. Val. Max. VII 3, 1. Plut. q. R. 4).

ovis cervaria (?) pro cerva in sacro cuius natura non inlustratur (Paul. p. 57).

cerva alba (Ov. f. I 387) in sacro privato (Sil. Ital. XIII 115. 124. 135).

suovetaurilia in sacro cuius natura non inlustratur (CIL II 3820).

Iunoni *bos fem.* ludis saecul. Augusti et Septim. Sev. (acta lud. saec. in *Ephem. epigr.* VIII p. 231. 287).

Latonae *bos fem.* ludis Apollinaribus (Liv. XXV 12. Macrob. sat. I 17, 28).

Maiae *sus praegnas* in sacro cuius natura non inlustratur (Macrob. sat. I 12, 20).

Moeris (Parcis) *agnae* (*oves*) *caprae* nocte in campo ad Tiberim ludis saecul. (acta lud. saec. in *Ephem. epigr.* VIII p. 230. Diels *Sib. Bl.* 134).

Proserpinae *bos fem. furva* ludis saecul. antiquioribus rei publ. liberae (Fest. p. 329. Val. Max. II 4, 5. Censor. 17, 8. Zosim. II 3).

vacca sterilis in sacro privato (Verg. Aen. VI 251. Arnob. VII 21).

oves furvae (*bidentes*) in sacro privato (Sil. It. VIII 117—120).

Telluri *sus plena* nocte ad Tiberim ludis saecularibus Augusti (acta lud. saec. in *Ephem. epigr.* VIII p. 232).

Veneri *agna* / (*h*)*aedua* } a sacerdotibus Saturni (CIL VIII 8246. 8247).

Cerfo Martio *tres apri rubri vel picei* in fontulis pro populo civitatis Iguvinae, pro civitate Iguvina (tab. Iguv. I B 24. VII A 3).

Fisio Sancio *tres sues lactentes* post portam Tesenacam pro arce Fisia, pro urbe Iguvina (I A 14. VI B 3).

Honto Cerfio *tres vituli tauri* ad aedem Coredii pro populo urbis Iguvinae, pro urbe Iguvina (I B 4. VI B 45).

Honto Iovio *catulus* hostia sollemnis pro Petronia natione fratrum Atiedium (II A 20).

Iovio *unus aries* pro fratribus Atiediis (II A 6).

Iovi *bos sollemnis* pro fratribus Atiediis (II A 4 sq.).

Actui Iovi *ovis sollemnis* pro fratribus Atiediis (II A 10).

Almoni Iovi *sus agonalis sollemnis* pro fratribus Atiediis (II B 8).

Iovi Grabovio *tres boves* ante portam Treblanam pro arce Fisia, pro urbe Iguvina (I A 3. VI A 22).

Iovi Sancio *vitulus votivus* pro fratribus Atiediis (II B 23).

Actui Marti *aper sollemnis* pro fratribus Atiediis (II A 11).

Marti Grabovio *tres boves* ante portam Tesenacam pro arce Fisia, pro urbe Iguvina (I A 11. VI B 1—3).

Marti Hodio *tres vituli tauri* ad aedem Ioviam pro propulo urbis Iguvinae, pro urbe Iguvina (I B 1. VI B 43).

Pumuno Puplico *ovis sollemnis* pro fratribus Atiediis, pro sacris paganicis, pro civitate Iguvina, pro tribu Iguvina (III 26).

Sancio *caper agonalis sollemnis* pro fratribus Atiediis (II B 10).

Tefro Iovio *tres habinnae*[1]) post portam Veiam pro arce Fisia, pro urbe Iguvina (I A 24. VI B 22).

Vofiono Grabovio *tres boves calidi* ante portam Veiam pro arce Fisia, pro urbe Iguvina (I A 20. VI B 19 sq.).

Praestitae Cerfiae Cerfi Martii *tres porcae rubrae aut piceae* in rubinia pro populo civitatis Iguvinae, pro civitate Iguvina (I B 27 VII A 7).

---

[1]) habinnae = verveces, cf. Buecheler *Umbr.* p. 72 sq.

Trebae Ioviae *tres sues gravidae* post portam Treblanam pro arce Fisia, pro urbe Iguvina (I A 7. VI A 58).

Tu(r)sae Cerfiae Cerfi Martii *tres vitulae* trans sanctam pro populo civitatis Iguvinae, pro civitate Iguvina: (I B 31. VII A 40).

Tu(r)sae Ioviae *tres* (*opimae*) *iuvencae* in Aquilonia pro populo civitatis Iguvinae, pro civitate Iguvina (I B 43. VII A 47).